

DIE 2 OCTOBRIS
SS. ANGELORUM CUSTODUM
TOTUM DUPLEX

AD II VESPERAS

Sup. Psalmos Ant. IVb



Ange-lis su- is De-us mandávit de te, ut custódi- ant te in ómni-



bus vi- is tu- is. *Ps. Dixit Dóminus. E u o u a e.*

Ps. 109

Dixit Dóminus Dómino meo:
* sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, *
scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet
Dóminus ex Sion: * domináre in
médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die vir-
tútis tuæ in splendóribus sanctó-
rum: * ex útero ante lucíferum
génui te.

Iurávit Dóminus, et non pœni-
tébit eum: * Tu es sacérdos in
ætérnum secúndum órđinem
Melchisedech.

Dóminus a dextris tuis, *
confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natió nibus implé-
bit ruínas: * conquassábit cápita
in terra multórum.

De torrén te in via bibet: *
proptérea exaltábit caput.

Glória Patri.

Ps. 110

Confitebor tibi, Dómine, in
toto corde meo: * in consílio
iustórum, et congregátione.

Magna ópera Dómini: * ex-
quisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia

opus eius: * et iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, † miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit tímētibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem Gén-tium: * ópera mánuum eius véritas, et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: † confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et equitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Ps. 111

Beatus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiae in domo eius: * et iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, et miserátor, et iustus.

Iucúndus homo, qui miserétur et cómodat, † dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non tímébit.

Parátumcor eius speráre in Dómino, † confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despiciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: † iustitia eius manet in sæculum sæculi: * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccator vidébit, et irascétur, † déntibus suis fremet, et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri.

Ps. 112

Laudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedic-tum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et

humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantes.

Glória Patri.

Ps. 137

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritate tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen san-

ctum tuum.

In quacúmque die invocavéro te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audierunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.


Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despicias.

Glória Patri.



Ange-lis su- is De-us mandávit de te, ut custódi- ant te in ómni-



bus vi- is tu- is.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te et custodiat in via et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem eius.

Oto ja poszlę Anioła mego, któryby szedł przed tobą, i strzegł na drodze, i wprowadził cię na miejsce, którem nagotowałem. Szanuj go, i słuchaj głosu jego

Hymnus VI



Custodes hóminum psállimus Ange-los Na-túræ frá-gi-li quos Pa-ter



addidit Cæléstis cómi-tes, insi-di-ántibus Ne succumberet hóstibus.

Nam, quod corrúerit
próditor ángelus,
Concéssis mérito
pulsus honóribus,
Ardens invidia
péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.

Huc, custos, igítur
pérvigil ádvola,
Avértens pátria
de tibi crédita

Tam morbos ánimi
quam requiércere
Quidquid non sinit incolas.

Sanctæ sit Tríadi
laus pia iúgiter,
Cuius perpetuo
númine máchina
Triplex hæc régitur,
cuius in ómnia
Regnat glória sæcula.
Amen.

∴: Stetit Angelus iuxta aram templi.

℞: Habens thuríbulum áureum in manu sua.


Ad Magn. Ant.



San-cti Ange-li custódes nostri de-féndi-te nos in præ-li- o:



ut non pe-re-ámus in treméndo iu- dí-ci- o. *Cant. Magni-ficat.*



E u o u a e.

Magníficat, * ánima mea
Dóminum

Et exsultávit spíritus meus * in
Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem
ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc
beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui
potens est: * et sanctum nomen
eius.

Et misericórdia eius a progé-
nie in progénies * timéntibus
eum.

Fecit poténtiam in bráchio
suo: * dispérsit supérbos mente
cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et
exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et
dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel, púerum su-
um, * recordátus misericórdiæ
suæ.

Sicut locútus est ad patres
nostros, * Abraham, et sémini
eius in sæcula.

Glória Patri

Deus, qui ineffábili provi-
déntia sanctos Angelos tuos
ad nostram custódiam mittere di-
gnaris: largíre supplicibus tuis et
eórum semper protectióne defén-
di, et æténa societáte gaudére.

Per Dóminum nostrum Iesum
Xpistum Fílium tuum, qui tecum
vivit et regnat in unitáte Spíritus
Sancti, Deus, per ómnia sæcula
sæculórum.

Amen.

stowarzysz.
enie: schola
gregoriana
silesiensis

